

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0490

0488

0494

0484

0499

0479

0539

0439

0589

0389

0989

Ende

Anfang

476

exivimus in hortum monasterii, qui certe contra naturam eremi mirum in modum viret, floret et germinat, producens proceras arbores fructiferas et olera pulmentica, herbas et gramina. In eo vidimus ultra tria millia arbores olivarum, ficulneas plures et malogranata multa et amygdalorum arbores numerosas etc. De oleo hujus horti habet conventus S. Catharinae sufficientiam ad nutritionem lampadarum ecclesiae et pro coquina pro cibis condiendis. De pomis hujus horti mittunt monachi singulis annis Soldano regi Aegypti ad Cairum vasa plena pro munere et pro recompensa conservationis et tuitionis eorum, sicut postea patebit. De oleribus ejus toto anno habent salutucium et pulmentum, de graminibus pro bestiis foenum. Et mirum est, reperiri in eremo talem paradisum, ubi omnia arentia exusta solis ardoribus, nullius seminis aut radicis arena sterilis est productiva; sed quid non adiuvavit industria humana? Supra hortum sub radicibus amborum montium foderunt monachi fontes tres magnos aliquantulum ab invicem distantes, in quos omnis aqua tempore hiemali de montibus fluens recipitur et per dracones de uno puto in alium transmittitur et de ultimo in hortum sicut aqua viva decurrit et per eam per fossata derivatur et illa frequens irrigatio aquarum tantam pinguedinem arenis dat, quod quasi terra frugibus apta humus eremi fructificat. Sic etiam legimus fecisse patres antiquos Deo in desertis servientes, ut patet in Speculo histor. Lib. 19. Cap. 14.

In horto illo sunt multae rupes de terra excrescentes et scopuli et petrae, sub quibus sunt cavernae, antiquorum sanc torum cellulae, et per longum vallis spatium durat hoc delectabile viridarium habetque in longitudine unum milliare italicum in latitudine vero, quantum homo bis potest jacere lapide. Conquerebantur autem nobis fratres, quod illo anno non habuissent pluviam, et cum magna parcitate aquam habent in hortum derivare, nisi enim cottidie irrigetur, mox omnia arescunt; conquerebantur etiam, quod iam aliquibus annis locustae sine numero advolantes in arborum floritionem et in hortum cadunt totamque superficiem operiunt et omnem viorem consumunt, flores et folia corticesque arborum rodunt et corrosa arescunt et intolerabile damnum inferunt. Perspecto igitur horto reversi sumus in monasterium et ibi asinarios exspectavimus.

